

de presenti in facie Sanctae Matris Ecclesiae adulterium commiserit, etiam si dicatur & aliquibus causis & rationibus probetur praedictum matrimonium fuisse nullum, aut quia essent cognati consanguinei aut affines intra quartum gradum: aut quia eorum alter matrimonio antea tenebatur, aut voverit castitatem; aut ingressum Religionis, aut ob aliam quamvis causam, quando jam per illos non steterit, quin facerent quod non deberent, propter ejusmodi causas non excusentur, quin maritus possit tam uxorem quam adulterum accusare adulterii per inde ac si matrimonium esset verum. Et praecipimus, ut in ejusmodi quos pro adulteris habemus, & in eorum bona animadvertatur, prout habetur in lege Fori legum, ubi agitur de iis qui admiserint crimen adulterii.

TEXT. LXXXII.

EL marido que matare por su propria autoridad al adúltero, y la adúltera, aunque los tome inflagranti delicto, y sea justamente hecha la muerte, no gane la dote, ni los bienes del que matare: salvo si los matare, ó condemnare por autoridad de nuestra justicia, que en tal caso mandamos que se guarde la ley del fuero de las leyes que en este caso disponen.

Id est:

Maritus qui propria autoritate adulterum & adulteram occiderit, quamvis eos deprehenderit in flagrante delicto, & mors iuste sit inflata, non lucretur dotem, nec occisi bona: nisi eos condemnaverit, aut occiderit autoritate nostra iustitiam in ejusmodi casu praecipimus, ut servetur Lex Fori legum in hunc casum disponentium.

COMMENTARII

In Legem LXXX.

Cum duabus sequentibus.

SUMMARIUM.

- 1 De jure naturali primo non erat reprobatus nec punibilis aliquis coitus vel accessus carnalis.
- 2 Hodie post leges scriptas quidam coitus est licitus, & quidam reprobatus.
- 3 In matrimonio est castitas & pudicitia, & an in copula matrimoniali sit peccatum veniale?

- 4 Generaliter omnis coitus & accessus est reprobatus & illicitus praeter quam matrimonialis.
- 5 De jure civili positivo quidam coitus est punibilis quidam non, & primo est punibilis cum virgine & vocatur stuprum.
- 6 An hodie poena stupri sit correcta de jure castonico?
- 7 Dispositio juris canonici circa stuprum commissum cum virgine, an sit servanda, etiam in terris imperii & foro seculari?
- 8 An ille qui virginem corrumpit teneatur ducere eam in uxorem & eam dotare, an verò teneatur ad unum tantum?
- 9 Si ille qui virginem corrumpit non potest cum ea contrahere nec eam dotare, an teneatur poena stupri imposita de jure civili?
- 10 An ille qui corrumpit & deflorabit virginem sponte & sic ea volente & consentiente, teneatur aliqua poena?
- 11 Si virgo postquam fuit corrupta ab uno, contraxit matrimonium cum alio, an possit aliquid petere à corruptente?
- 12 Filia in potestate patris licet fuerit nupta, potest dotem petere à patre?
- 13 Ille cui debentur alimenta ex juris dispositione, licet se ipsum aluerit, poterit petere alimenta ab obligato.
- 14 Secundò & principaliter est punibilis coitus & accessus cum vidua.
- 15 Tertio est punibilis coitus & accessus cum consanguinea.
- 16 In probanda copula inter consanguineos major probatio requiritur quam in probanda copula inter extraneos.
- 17 Si consanguineus reperiatur in eodem lecta cum consanguinea, an ex hoc praesumatur inter eos copula?
- 18 Qualiter probetur copula in peccato nefanda contra naturam?
- 19 Quarto & principaliter est punibilis coitus & accessus cum Sacerdote, vel Religioso, vel conjugato.
- 20 An leges regales punientes concubinas clericorum valeant & teneant, cum ex hoc infamantur ipsi clerici?
- 21 Ad hoc ut concubina clerici incurrat penas legales, sufficiat habuisset accessum ad clericum vel conjugatum, vel requiratur quod publice & manifeste retineatur pro tali concubina?
- 22 Si concubina clerici fuerit conjugata, an incurrat poenam impositam per praedictas leges regias?
- 23 Quintò & principaliter est punibilis accessus inter dominam & servum proprium.

Sex-

- 24 Sextò & principaliter est punibilis coitus & accessus inter tutorem & pupillam, & curatorem & adultam.
- 25 Si custos carceris habeat accessum ad mulierem captam & incarceratam, acriter debet puniri.
- 26 Septimò & principaliter est punibilis coitus & accessus cum persona alterius sectae.
- 27 Octavo & principaliter est punibilis coitus & accessus, quando quis contraxit bis matrimonium.
- 28 An mulier qua contraxit bis matrimonium puniatur eadem poena quam masculus?
- 29 Si quis ter vel pluries contraxit matrimonium, an gravius puniatur?
- 30 Si secundum vel tertium matrimonium quod quis contraxit sit invalidum de jure, an habeat locum praedicta poena?
- 31 Si mulier sine dolo credens maritum esse mortuum contraxit secundum, vel tertium matrimonium, an incurrat poenam praedictarum legum?
- 32 Nondò & principaliter est punibilis accessus contra naturam, & qua sit ejus poena?
- 33 Si vir vel masculus habeat accessum ad uxorem, vel aliam mulierem contra naturam, qualiter puniantur?
- 34 Si femina cum alia femina agat, & habeat accessum contra naturam, qualiter puniantur?
- 35 Decimò & principaliter est punibilis coitus & accessus cum animali: & qua sit poena ejus, & an ipsum animal debeat puniri?
- 36 Undecimò & principaliter est punibilis coitus & accessus commissus per vim.
- 37 An ista poena raptus habeat locum in femina recipiente virum?
- 38 Item etiam an ista poena raptus habeat locum in sponso de futuro rapiente sponsam de futuro?
- 39 Item etiam an ista poena raptus habeat locum in marito vel sponso de presenti?
- 40 Si quis rapuit mulierem causa libidinis, non tamen habuit accessum ad eam, an ex solo rapitu teneatur?
- 41 Si quis per vim cognovit aliquam mulierem, non interveniente rapitu, qua poena teneatur?
- 42 Si quis rapuit & cognovit virginem immaturationem, nondum viri potentem, qua poena puniatur?
- 43 An raptor vel ille qui per vim cognovit aliquam mulierem possit cum ea contrahere matrimonium, & poenam evitare?
- 44 Si raptor & mulier rapta constentur se ante

contraxisse matrimonium, an evitabunt poenam?

- 45 Poena raptus non habet locum in eo qui rapuit publicam & meretricem.
- 46 Duodecimò & principaliter est punibilis coitus & accessus cum muliere conjugata, & vocatur adulterium.
- 47 Qua sit poena adulterii, tam de jure communi quam Regio.
- 48 Si matrimonium non valeat nec teneat, an mulier qua commisit adulterium teneatur?
- 49 Quis possit accusare de adulterio?
- 50 Qualiter, & quando probetur adulterium?
- 51 An & quando maritus possit propria autoritate interficere adulteros?
- 52 An leges seculares permittentes maritum posse occidere adulteros, sint licita & servanda, cum ex hoc talis maritus incurrat peccatum mortale?
- 53 In tantum maritus potest occidere uxorem repertam in adulterio, ut procedat & habeat locum etiam si sit pragnans.
- 54 Mulier pragnans propter delictum bene potest condemnari ad mortem, & valet sententia sed executio ejus suspenditur donec pariat.
- 55 In tantum maritus potest occidere adulterum repertum in flagrante delicto, ut procedat & habeat locum etiam si sit clericus constitutus in sacris.
- 56 Si maritus interficiat uxorem & adulterum in flagrante crimine, sed non possit hoc probare, an puniatur maritus, vel qualiter excusetur?
- 57 In delicto quando agitur de reo absolvendo, in dubio debet intelligi aliquid esse factum tempore & loco permissio.
- 58 Si maritus interfecit uxorem & adulterum, non tamen repertos in delicto, an excusetur si probet eos commisisse adulterium?
- 59 Verus & realis intellectus ad textus in lege divus Adrianus, ff. ad leg. Pompe. de Parricid.
- 60 An & quando maritus possit interficere illum quem habet suspectum de uxore?
- 61 An in casibus quibus maritus potest interficere adulteros, possit alteri vindictam committere & demandare?
- 62 An maritus qui potest adulteros repertos in delicto occidere, possit secum adducere socios & amicos, ut ei praesent opem & auxilium?
- 63 An maritus occidens uxorem propria autoritate lucretur dotem & alia bona ejus?
- 64 An maritus qui propria autoritate interfecit uxorem

- uxorem & adulterum, possit succedere ab intestato filiis vel heredibus eorum?
- 65 Si uxor requisita ab aliquo de adulterio committendo revelavit marito suo, an possit licite requirentem decipere, ut injuriam vel mortem patiatur.
- 66 An custos alicujus Castri vel fortalitii requisitus ab alio ut recipiat pecuniam pro traditione committenda, possit decipere ipsum requirentem.
- 67 An iudex requisitus à litigante ut pecuniam recipiat possit decipere requirentem, & fingere se velle facere?
- 68 Si maritus decissit antequam mulierem accuset de adulterio, an possit petere dotem, & ei possit obviare aliqua exceptio?
- 69 Si uxor adultera decedat, & heredes ejus petant dotem à marito, an possit maritus eis opponere exceptionem de adulterio?
- 70 Si mulier vidua soluto matrimonio habuit accessum cum alio, an perdat dotem?
- 71 Quas excusationes vel exceptiones habeat uxor adultera?
- 72 An maritus teneatur simul adulterum & adulteram accusare?
- 73 Quae sit poena lenocinii, tam de jure communi quam Regio?
- 74 Si probetur quod quis intercedebat tamquam leno inter aliquos, tamen non fuit consummatum delictum, quae poena teneatur.
- 75 Si mulier conjugata habeat filium ex adulterio de quo ipsa est certa maritus, autem ignorat, quid faciet in conscientia.

Iste tres leges tractant de delicto adulterii, de quo perfecte & magistraliter intendo tractare. Pro cujus perfecta intelligentia & declaratione dico, quod de jure naturali primavo antequam esset lex scripta, vel matrimonium institutum, non erat reprobatus nec punibilis aliquis coitus vel accessus carnalis: textus in *Authent. quibus modis datur eff. legit. s. Liceat igitur, vers. Nec enim, collat. 6.* cujus pulchra verba sunt, *nec enim à principio, quando sola natura sanciebat homines, antequam scripta provenirent leges, fuit quadam differentia naturalis atque legitima, text. in Authent. quibus mod. naturales efficiantur sui, s. Natura, collat. 7.* cujus verba sunt, *natura si quidem ab initio, dum de filiorum procreatione sanciret scriptis, nondum positus legibus, omnes similiter quidem liberos produxit ingenios probat etiam textus in lege 1. s. Jus naturale, ff. de Justit. & jur. ibi, hinc descendit maris atque feminae conjugatio: textus in capit. Jure naturale, dist. 1. text. in s. 1. Institut. de jure nat. gent. & civil. & utrobique Glossa ordinaria & com-*

muniter DD. & per ista jura istam sententiam & conclusionem ponit Azor in *Summa, Cod. de Natur. liber. col. 2. num. 3.* Bartol. notabiliter in leg. In concubinato, ff. de Concubinis col. 1. num. 3. Angel. de Aretin. in s. 1. Institut. de jure natur. gent. & civil. col. 2. num. 5. adeo quod de illo jure frater vel consanguineus licite poterat coire cum sorore, vel alia qualibet consanguinea propter paucitatem gentium, secundum praedictos DD.

Hodie tamen post leges scriptas quidam coitus est licitus & quidam reprobatus. Coitus licitus est matrimonialis: quia matrimonium institutum est à Deo Domino nostro propter generationem suscipiendam, & fornicationem evitandam, ut habetur, *Gen. cap. 2.* & habetur per Paulum ad Corinthios cap. 7. & in cap. Sicut, s. His ita 32. quast. 2. & in cap. Quidquid ead. caus. & quast. & in capit. Quod Deus conjungit 33. quast. 2. & in capit. Nervi in fin. dist. 13. & in cap. Omnes 27. quast. 2. & in cap. 1. & per tot. de Sponsalib. & matrim. & in cap. gaudemus de Divortiiis, & in *Authent. de nuptiis per totum collat. 4.*

Imò in matrimonio est castitas & maxima pudicitia, textus est in leg. Mulier, s. Cum proponeretur, ff. ad Trebell. ibi, quod & mulieris pudicitia & patris voto congruebat. textus in leg. Castitati, Cod. ad legem Jul. de adult. textus in leg. Consensu, s. Si qua igitur ibi, quod maxime etiam castas exasperat, Cod. de Repud. textus in capit. Nicana dist. 31. ibi, nuptias & castitatem esse cum propria conjugate, textus in cap. Hac autem 30. distinctio, text. in cap. Deus, q. 31. cujus verba sunt, *Deus masculum & feminam propaganda generis causa nuptiali castitate conjungit.* Et an venialiter peccet maritus qui solum casu libidinis & voluptatis explendae ad uxorem accedat, vide notab. per Glos. & DD. in *dist. cap. Quidquid 32. quast. 2.* & notabiles effectus & commoda matrimonii vide notabiliter & melius quam alibi per Joannem de Nevizanis, in sua *Summa imperiali, in part. est nubendum.*

Omnis autem alius coitus praeterquam matrimonialis est illicitus & reprobatur de jure divino, & in eo communiter est peccatum mortale ut habetur Deuteronomii cap. 5. ibi: *neque moechaberis, transumptive in cap. Nemo 32. quast. 4. & in cap. Dicat aliquis & in capit. Sicut non, ibi, simplex enim fornicatio in sacra Scriptura prohibetur, ead. caus. & quast. castitas enim valde amabilis est Deo, adeo quod ipsa sola potest animas suae majestati praesentare, ut in *Auth. de Leno, s. Sancimus, collat. 2.* imò sola voluntas deliberata sine actu inducit peccatum mortale, ut expressè dicit Dominus noster in *Evang. Matthaei capit. 5. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mu-**

mulierem ad concupiscendam eam jam moechatus est in corde suo, & habetur transumptive in cap. Qui viderit, 32. quast. 5. & in cap. Unum s. Criminis, distinct. 25. & in cap. Omnis de pen. distinct. 1. & in cap. Sed pensandum, dist. 6. Unde fugiendum est à fornicatione tamquam à peste, quia ultra peccatum mortale, plura damna & incommoda affert.

De jure autem civili positivo aliquis coitus est punibilis, & aliquis non: & primò est punibilis cum virgine: nam si quis virginem etiam volentem corruerit, committit delictum quod vocatur stuprum: textus est capitalis in leg. Stuprum, ff. ad legem Juliam de adulter. cujus verba sunt: *Stuprum committit qui liberam mulierem consuetudinis causa non matrimonii continet, admittitur stuprum in vidua, vel virgine, vel puero committitur, text. in leg. Inter liberas, s. lex Jul. eodem tit. text. in leg. Inter stuprum, ff. de Verbor. significat, textus in leg. Eum qui duas, Cod. ad legem Juliam de adulteris, textus in leg. Quae adulterium eodem tit. cujus poena de jure communi est in honesta persona, & in dignitate constituta, publicatio medietatis honorum: & in vili persona coërtio corporalis arbitraria cum relegatione: text. est in leg. Item lex Julia, de adult. vers. fin. Instit. de public. judic. cujus verba sunt: *Poenam autem eadem lex irrogat peccatoribus si honesti sunt, publicationem partis dimidia eorum honorum: si humiles, corporis coërtionem cum relegatione, & ad hoc illum textum notat & commendat ibi Faber, Angel. Nicob. de Neapol. Plat. & communiter DD. Alber. & DD. in leg. Si adulterium cum incestu, s. 1. ff. ad legem Juliam de adulteriis. Salicet. notat in leg. Eum qui duas, 1. col. num. 2. Cod. eodem tit. Angel. de Aret. in tract. Mat. in part. chemai adulterato la mia dona, col. 15. vers. Quaro quando dicatur committi stuprum, &c. & idem disponit lex 2. tit. 19. part. 7. & eadem poena imponitur ipsi mulieri: quia ipsa dicitur delinquere & committere stuprum, ut probant praedicta jura: & adde quod istud delictum potest accusari, vel per judicem ex officio inquiri infra quinque annos tantum, text. est in leg. Mariti, s. Praterea, & s. Hoc quinquennium, ff. ad leg. Jul. de adult. & probat. prad. l. part.**

Advertendum tamen quod hodie ista poena videtur correcta de jure canonico: quia ille qui virginem corruerit tenetur eam ducere in uxorem, & similiter eam dotare secundum qualitatem suae personae: si verò ipsa vel pater ejus noluerit cum eo contrahere: tunc competenter dotabit eam, textus est notab. & capitalis in cap. 1. de Adult. & stupro, cujus verba sunt: *Si deduxerit quis virginem nondum desponsatam, dormieritque*

Anton. Gomez ad legem Tauri.

cum ea dotabit eam, & habebit uxorem, si verò pater virginis dare noluerit reddet pecuniam juxta modum dotis quam virgines accipere consueverunt, & ibi notat Innocent. Hostiens. Joann. An. Anton. de Bu. Abb. Panor. Card. Anchar. Joann. de An. & communiter DD. probatur etiam originaliter *Exod. 22. cap. ubi dicitur si seduxerit quis virginem nec dum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit eam uxorem.*

Unum tamen est, quod dispositio illius capituli & ejus poena videtur intelligenda solum de jure canonico, & in terris Papae, non verò in terris Imperii vel alterius regi vel domini temporalis: quia in eis servabitur jus commune civile, de quo supra dictum est, & in expresso ita tenet Salic. in leg. eum qui duas, col. 1. n. 3. Cod. ad leg. Jul. de adult. Augusti. in *Addit. ad Ang. de Malef. in part. chemai adult. col. 16. vers. Tu autem in hac materia, & videtur tenere Glossa ordinaria Anton. de Butr. Card. & clarius & expressus Abb. Panor. & magis communis opinio in cap. 2. ejusdem tit. de Adult. sed de communi stilo & consuetudine in nostro regno semper servatur in practica dispositio textus in *dist. cap. 1. de Adult. & ejus poena.**

Præsupposito autem quod dispositio textus in *dist. cap. 1. de Adult.* procedat & habeat locum tam in foro civili quam canonico pro majori & necessaria declaratione ejus. Primò quæro, an præcisè & copulative ille qui virginem corruerit teneatur ad illa duo, scilicet ducere eam in uxorem, & insuper eam dotare? Et videtur quod sic, quia ille textus hoc expressè probat dum loquitur copulative, dotavit eam, & habebit uxorem: & ita tenet ibi Innoc. Hostiens. Joann. Ang. Ant. de Butr. & Card. Ex quo deducitur & infertur secundum eos, quod illo casu compellitur quis invitus & præcisè contrahere matrimonium judicis autoritate ratione delicti commissi: facit etiam textus in cap. 1. *De eo qui duxit in matrim. quam pol. per adult.* Sed his non obstantibus contrarium est tenendum, imò quod alternativè teneatur vel ducere eam in uxorem, vel dotare & hoc probat text. in cap. 2. *ejusd. tit. ibi: Aut quam stupravit, uxorem habeat: aut si renuendam putavit corporaliter castigatus excommunicatusque in monasterium in quo agat penitentiam detrudatur, & istam sententiam & conclusionem tenet expressè Abb. Panor. in *dist. cap. 1. col. 1. num. 4.* ubi dicit, quod si non ducit eam, tenetur eam benè dotare, taliter quod debet plus dare quam eo casu quo eam duceret, & ibi Anchar. col. 2. num. 5. Joann. de An. col. 2. vers. Notab. secundum Innoc. & ita servatur in practica, & sic jam ego judicavi.*

Adde tamen, quod si praedictus reus delin-

Nm
quens

quens nullum eorum vellet facere, scilicet nec eam in uxorem ducere nec dotare, vel forté non potest aliquid horum facere, quia est uxoratus, vel est ita pauper, quod non potest solvere dotem, tunc poterit per iudicem puniri poena supradicta juris civilis; ita aperte colligitur ex mente Glossæ & Doctorum in dict. cap. & in locis supra citatis. Item etiam eo casu quo non vult eam ducere in uxorem, sed tantum dotare, debet adhuc puniri aliqua levi poena, quæ omnia notantur & colliguntur ex dict. cap. 1.

10 Secundò quæro, an dispositio text. in d. cap. 1. de Adulter. & ejus poena, habeat locum etiam si quis corrumpit & defloravit virginem sponte, & sic ea volente & consentiente; & videtur quod non: imò tunc corrumpens evitat poenam: quia requiritur ex parte corruptentis violentia, vel saltem persuasio, fraus, vel dolus, quibus eam subducatur: quod probat text. in dict. cap. 1. in quantum dicit, si seduxerit quis virginem, &c. probat etiam text. in leg. 1. vers. Is autem, ff. de Servis fugitivis, ubi probatur quòd quando quis delinquit incitatus à persona vel re super qua delinquitur, mitius punitur, quia evitat poenam si postea poeniteat, & lucrum perceptum restituat: unde si quis servum fugitivum ad se venientem detineat & occultavit, sed postea infra 20. dies domino restituat, evitat poenam: & ad hoc notat & commendat ibi Bartol. & communiter alii DD. idem Bartol. in leg. Qui ea mente, ff. de Furtis, col. 1. opposit. 2. Ex quo infert quod si in domum alicujus veniunt gallinæ vel pulli alterius, vel animalia similia, & illic retineat cum mala fide, & postea poenitentia ductus, dimittat vel domino reddat, non punitur, sed excusatur à poena: probat etiam textus in leg. 3. §. Si quis volentem, ff. de Libero homine exhibendo, ubi habetur quòd non tenetur quis poena illius edicti vel tituli, quando liberum hominem, volentem retinuit, tamen si dolo fraude, vel caliditate retinuit, vel seduxit, bene tenetur: textus in leg. 1. §. Persuadere, ff. de Servo corrupto, ubi habetur quod persuadere & compellere alium, æquiparantur: & in expresso istam sententiam & conclusionem tenet Dinus in regula, scienti, de Regulis juris, in cap. 1. opposit. Faber in suo Brevariario in leg. unica, Cod. de Raptu virginum in fin. & ibi Bald. col. fin. num. 20. probat etiam textus in leg. fin. tituli. 7. lib. 4. foro II. ubi disponitur, quod si aliqua mulier soluta sponte intraverit in domum alterius causa libidinis, non punitur reus aliqua poena, sed his non obstantibus contrarium est tenendum, imò quod etiamsi non interveniat, nec probetur aliqua violentia vel persuasio, sed ipsa virgo sponte acquievit, procedit & habet locum dispositio textus in dict. cap. 1.

& ejus poena, quia semper præsumitur seducta & decepta, argumento textus notabilis in jure in leg. unica, §. penult. Codice de Raptu virginum, vers. Quia hoc ipsum, cujus verba sunt: Quia hoc ipsum velle mulierum ab insidiis nequissimi hominis qui meditatur rapinam inducitur; nisi etenim eam sollicitaverit; nisi odiosis artibus circumvenerit, non facit eam velle in tantum dedecus sese proderet; & isto fundamento & ratione istam sententiam & conclusionem tenet Abbas Panormit. in dict. cap. 11. Notabili, & Joan. de An. 1. column. & 1. notabili. Confirmatur, quia quando quis patitur sibi inferri offensam in corpus consensus offensi non excusat delinquentem, quia nemo est dominus membrorum suorum, ut in leg. Liber homo, ff. ad legem Aquilianam cum similibus, & isto fundamento & ratione istam eandem sententiam & conclusionem tenet Petr. de Vernia in Addit. ad Jacob. Batr. in leg. Raptores, Cod. de Episcop. & Cleric. Sed ultra DD. pro concordia videtur dicendum: quòd si probetur violentia, dolus, vel persuasio viri absque dubio teneatur, similiter etiam in dubio, quando non constat de ejus violentia, dolo, vel persuasione, teneatur, licet mulier consenserit; si verò expressè constat & probetur quod ipsa mulier se ingessit & consensit absque aliqua violentia, dolo, vel persuasione viri, nullo modo teneretur; & ita procedat prima sententia & opinio Dini & aliorum, & ita ego practicarem.

11 Tertiò principaliter quæro, si fortè ista virgo postquam fuit corrupta contraxit matrimonium cum alio, & non cum ipso corruptente, & habet dotem competentem à patre vel matre, vel ex suo patrimonio: an talis corrumpens teneatur eam dotare, & habeat locum dispositio text. in dict. cap. 1. & videtur quod non. Primò, quia cessat ratio fundamentalis illius capituli, nam ipsa mulier jam est nupta, & impossibile est de jure quod corrumpens ducat eam in uxorem. Item etiam est dotata, & reperit cui nubere possit: ergo non superest aliquid agendum ab ipso corruptente. Confirmatur, quia licet pater vel ascendens teneatur alimenta præstare filio vel descendenti, tamen illud est verum & procedit præterquam si habeat officium unde se alere possit: textus est in leg. Si quis à liberis, vers. Denique, ff. de Liberis agnoscendis, & ibi communiter DD. Sed ego teneo contrarium, imò quod adhuc teneatur ipse corrumpens eam dotare: quia licet ipsa aliunde fuerit dotata, non tamen eximitur ipse ab obligatione quàm de jure incurrit: nec est inconveniens, quòd constante matrimonio ipsa mulier nupta recipiat dotem vel augmentum dotis.

Pro qua sententia & conclusione facit bene 12 Glossa singularis & unica in leg. Obligamur, ff. de Aff.

13 Aff. & oblig. in verb. lege, ubi dicit, quòd licet filia in potestate patris constituta, fuerit jam nupta, tamen pater tenetur eam dotare, ut se liberet ab obligatione legali: quam Glos. ad hoc reputat ibi singularem & unicam Alberic. de Rosa, commendat etiam ibi Angel. & ceteri DD. illum etiam reputat singularem idem Alberic. in leg. Cum is, §. fin. ff. de Condit. indeb. Alexand. in leg. 1. ff. solut. matrim. col. 7. num. 31. & ibi moderni: quod est verum & procedit, etiamsi filia nubat contra voluntatem patris, saltem de jure canonico, Glos. est singularis in jure in cap. Hoc factum, num. 32. quast. 2. quem ibi ad hoc notat & commendat Archid. & communiter alii DD. & ad hoc reputat singularem Joann. de Imol. in leg. 1. ff. solut. matrim. 3. col. num. 2. & sequuntur secundum eos; facit etiam text. in leg. de Alimentis cum materia, Cod. de Trans. ubi probatur, quòd ille, cui debentur alimenta ex juris dispositione vel proprio contractu, licet seipsum aluerit de suo, tamen bene poterit petere alimenta præteriti temporis & super eis transigere: & ibi notat Bald. & communiter DD. Nec obstat text. cum communi opinione in leg. Si quis à liberis vers. Denique, ff. de Liber. agnosc. quia ibi alimenta debentur filio vel descendenti ex æquitate judicis officio, non verò jure actionis, quæ æquitas cessat in illo casu.

14 Secundò & principaliter est punibilis coitus cum vidua: nam si quis habeat recessum ad viduam honestè viventem, ambo committunt delictum & crimen stupri, & uterque tenetur & imponitur poena supradicta, quæ de jure civili est imposita pro stupro commisso cum virgine: & in expresso ita determinant jura per me superius allegata. Hodie tamen in nostro regno de generali consuetudine non imponitur aliqua poena pro stupro commisso cum vidua, nec umquam vidi eos puniri vel accusari, unde concludendum videtur, quòd de generali consuetudine & dissimulatione in isto casu ista poena jam est abolita & præscripta.

15 Tertiò & principaliter est punibilis coitus & accessus cum consanguinea: nam si quis scienter habeat accessum ad descendente in infinitum, vel ad consanguineam collateralem infra quartum gradum, committit crimen incestus, pro quo imponitur delinquentibus poena adulterii, & sic mortis & confiscationis bonorum: text. est capitalis & expressus in leg. Si adulterium cum incestu, ff. ad legem Juliam de adulteriis, cujus verba sunt: Si adulterium cum incestu committatur, ut puta cum privigna, nuru, noverca, mulier similiter quoque punietur; id enim venio etiam adulterio eveniret, & ibi tenet Glossa ordinaria Bartol. Alber. Angel. & communiter DD. Azor. in Sum-

Anton. Gomez. ad legem Tauri.

ma, Codice eodem tit. col. final. num. 26. Hostiens. in Summ. extra de adult. penult. col. vers. Quid sit incestus cum vers. sequent. Joann. Faber. in s. Item lex Julia de adult. in fin. Institut. de public. judic. & ibi Platea pen. col. num. 28. & communiter DD. Angel. de Malefic. in part. in chemat adulterato pen. fol. vers. Habeas etiam advertentiam, & ibi ejus additionator Paulus Grillandus, in tractatu de Pœnis omnifariam coitus 2. quast. pen. col. vers. 2. verò casu & 3. quast. column. 2. & idem disponit notabilis lex partitæ 3. tit. 18. part. 7. & hæc eadem poena habet locum, quando quis scienter habeat accessum ad uxorem consanguinei sui infra eundem quartum gradum: quia ultra adulterium committit crimen incestus. Item etiam si jam sit soluta per mortem viri committit hoc crimen secundum prædictos DD. ubi supra. Item etiam istud crimen incestus & ejus poena habet locum: quando quis habeat accessum ad aliquam monialem vel religiosam: vel è contra quando soluta habeat accessum ad religiosum, secundum eosdem; sed secundum leges Partit. hoc casu committitur stuprum, & habet locum ejus poena, ita disponit lex final. tituli. 19. part. 7. sed postea lege ordinamenti redactum est ad primum jus: & declaratur quòd committitur incestus, & habet locum ejus poena, ut in leg. 5. tit. 15. lib. 8. Ordnam.

Advertendum tamen est quòd ista poena videtur hodie correctà de jure novo Authenticorum, secundum quod contrahentibus incestas nuptias non imponitur poena mortis, sed tantum poena confiscationis omnium bonorum. Item etiam poena exilii perpetui. Item etiam poena amissionis officii vel dignitatis quam habeat. Item etiam si fuerit vilis persona, potest ei imponi poena flagellorum, textus est in Authentic. de incestis nuptiis, §. 1. collat. 2. textus in Authentic. incestas, Cod. de Incestis nuptiis, cujus verba sunt: Incestas nuptias contrahentis poena est confiscatio bonorum, tam ceterorum quam dotis, exilium etiam, & singuli si qua ponitur expoliatio: verberatio quoque si vilis est. Sed pro vera & reali declaratione dico quòd jura Authenticorum loquuntur & procedunt, quando quis contraxit matrimonium cum prædicta consanguinea, & ad eam habuit accessum sub colore matrimonii, quia illo casu datur aliqua excusatio. Jura autem superiora habeant locum & remaneant incorrupta, quando quis habuit accessum ad eam sine aliquo matrimonio: quo casu nulla datur excusatio: & in expresso istam sententiam & declarationem probat text. in leg. fin. ff. de Condit. sine causa, ibi: Non enim stupri sed matrimonii gratia datam esse, textus formalis & expressus in leg. 3. tit. 18. part. 7. Hodie tamen cum poena adulterii non sit mortis, sed sit alterata

Nun 2

de